resistere Diaboli impressionibus potero, neque suscepto mu-
neri in ista corporis imbecillitate superesse. paucis die-
bus post Michaëlis (si volet pater noster coelestis)
emigrabo. Comites adsumam, quam potero, paucissi-
mos nimirum pueros aliquot maxime tractabiles,
qui me in novo exilio consolentur, simulque loco filiorum
Antonius aegre a studiis poterit abduci, oculorum
hebetudo non sit major. Si vobis probatur erit no-
biscum, ut sit Jacobi custos atque etiam ut in latinae
linguae cognitione saltem mediocritatem quandam assequ-
atur. Erunt illic res paulo cariores, ego tamen certe
hoc anno de pretio nihil mutabo, dum modo sump-
tus itineris ex aequo solvamus pro sua quisque portione.
Expediret fieri pueris pallas pellitas, quibus in publi-
co honeste uti possint. Rationes mittoque nominatim
descriptas, ut argentum in tempore reddatur. Nam mihi
primusque fabulae hujus actus perquam sumptuosus erit. Constitue-
ram ante migrationem ad vos transcurrere de sociis
sociis acturus coram. Sed Dominus me imbecillem aliosque sic ad-
obruit multitudine molestiarum, ut nullo modo tantillum tem-
poris decidi possit. Recte dictum est: Non est hominis via
ejus, neque viri, ut dirigat gressus suos. Dices ex me salutem tuae
pientissimae conjugi. Tum autem verbi divini in ecclesia vestra
fideli ministro postremo Nicolao Gardinio, ejus charissimae u-
xori et fratribus omnibus, quos obnixe rogo propter gloriam
Dei, ut meam miserrimi hominis qualemcunque in ministerio
scholastico industriam et puerorum salutem communi
patri nostro communibus votis commendent. Vale
Frater venerande 11. Septembr. Bremae 1559.

Vobis amicus
Johannes Molanus

(84.)

Theodoro ab Haer D. Doctoris Lamberti
piae memoriae filio Pax Christi.

[= Macr. a. 7: Nr. 45]

Tuis literis cordate adolescens non potui ante hac

sine vestro periculo, nunc per meas turbas, non nisi ob-
ter respondere possum. Illei Isocratis mors pluribus
mihi de caussis accidit acerbissima. Quae ceteras funesta
fuit, sic tamen ut bona ipse fuerunt. Est aliquid immo ma-
gnum est ex illis feralibus angustiis quae tam multa ab-
sorbent salva tamen anima eum eluctari potuisse. Be-
nedictus Deus pater Jesu Christi, qui non dedidit bestiis
electum suum. De salutandis istis magnis viris noli labo-
rare. Speraveram eos ultro de me quaesituros, ubi Ancy-
bis me redisse intellexissent. Nunc cum sint corrupta,
missos faciamus. Studium D. Doct. p. desiderantis suum
nostrum noster hic exosculatur, et si qua poterit opera
dabit, videat iste interea, ne dum comperendinat versu-
ram solvat. Florentium & Lambertum nunc tandem
remitto, male mihi precantibus propinquis, quod diutur-
nule retenti sint, dum argentum cuderetur. Hoc ac-
cessit ad patris vestri luctum, quod ejus decessus Florenti-
num et Lambertum ex quibus in hoc exilio solatii aliquid cape-
re poteram, vixdum inchoatis studiis eorum intempestivi-
ter et cum mala gratia hinc a me divulsit. Quod ad me
serius scripseris, nihil erat quod tam sollicita purgatione ni-
mis iniquus sim, si id succenseam, non me latet quantis in a-
rumnis versentur, qui fidem isthic et bonam conscien-
tiam retinere contendunt. Conqueri soleo de sodalium silen-
tio, eas querelas non bilis amara, sed quaedam dulcissimae
consuetudinis memoria suggerit. Itaque de illis contem-
ptoribus rerum bonarum nihil tale conqueror, sed si quis fuit
tui similis, quem mihi communis fidei ardor arctius con-
junxit, cum eo soleo sum de non crebro missis literis ex-
postulare. Quod de studiis quaeris. Quis ego sum? ut ex tem-
pore de re difficili rectum consilium dare possim. Utili-
ter olim praeceptum est, βραδέως σπεῦδε. Si tuo loco es-
sem donec in patria haerendum est in cognitione me-

linguarum et in scientiam dicendi omne studium
meum conferrem maturo demum beneq; subacto
ingenio, lingua et stylo, ad Theologiæ studium in ali-
quam liberam Academiam transiturq; interea si com-
modum est nihil obstat, quo minus rudimenta quædam
Juris attingere satagas, quæ vel imprimis et augent
judicium et eloquentiam alunt. Sed desino ineptire.
Filio Dei, quod possum (exiguum id quidem est) non desi-
nam tua studia commendare, tu fac vicissim nos
adjuves in magnis semper et nunc sane in maximis
angustiis luctantes. Florentinum hortare, ut ma-
neat in timore Dei, ne pietatis initia, quibus incul-
candis non mediocriter laboravimus excuti sibi sua
aetate, socor-
dia vel Diaboli astutia patiatur. Si cognovistis patrem
nostrum coelestem in filio ejus Jesu Christo, estis for-
tes in illo. Maneat verbum ejus in vobis, facile vince-
tis quæ cunque ad honesta Deoque placentia enitentibus
obsistunt. Valete, nam me quamvis invitum dome-
sticarum rerum tumultus à scribendo abducit. Cætera
quæ ad me attinent, ex Lamberto cognoscetis. Valete
14 Sept: 1559. Vetus hospes et amicus

Johannes Molanus

(85.)

[= Manuscr. a. 7, Nr. 46]

D. Gerardo Mercatori

Pax Christi.

Quum sim isthuc venturus propediem hoc nunc solatii
habeo, quod inscribendis literis non necesse habeo meam
operam collocare. Gerarde frater, nunquam putavi vel
abs te à D. Gualtero violata nostræ necessitudinis
jura. Quis enim privati hominis gratiam nescit publi-
cis commodis sine injuria posthaberi posse? Sed ego
de meis angustiis apud vos humanissimos viros, meique
quod scio amantissimos, prolixè quidem sed tamen in-
fra verum conquestus id agebam ut tempestiviter
quum meo pudori: tum etiam honori scholæ vestræ